





16  
P. 26. num. 6a. 917  
DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS

DE

EFFECTV REI IVDICATAE  
ADVERSVS EOS, QVI IN LITE  
NON FVERVNT

1770.3.  
QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIP[E] <sup>E</sup>  
ET DOMINO

DOMINO FRIDERICO II

HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE RELIQA  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE RITE CAPESSENDIS  
HONORIBVS

AD DIEM X MAII 1770  
PVBLICE SVBMITTET PLACIDAe PROCERVUM  
DISQVISITIONI

AVTOR

GEORG. MATHAEVS FRANCKENBERG  
RO滕BERGA - HASSVS.

MARBVRGI CATTORVM

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.



DISSESTITATIO IURIDICA INAGARALIS  
DE  
THECTA REI IUDICATÆ  
ADRESSAS EOS, QVI IN FITE  
NON TERRANT  
GAVM  
RECTORÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERVASSIMO AC PONTIFICISSIMO PRINCIPE  
AL DOMINA  
DOMITIO FRIDERICO II  
HASSIE FANDGRAVO REVERENTE RERUM  
ACTORIATE ET CONSENSU  
ILLUSTRI IMPERIALI ORBVM ORDINI  
LXO  
UNUS IN ALBOGARIA VIRE RITE CAPITENDIS  
HONORIBAS  
AD DIAM X MAM CLXXXIX  
EPICTE SAVILLIUS TACCIDIVS PROCCRIV  
DIAZ SIEONI  
LXX  
GEORG. MARTHAES TRANSGRENBERG  
ROTENBERGER. HESSE  
MURARGI CATTOLIC

CLERICI JACOBINAE ANTIQUE SCVLPI MURARIA.




§. I.

ARGVMENTVM TRACTATIONIS ET INSTITVTI  
RATIONEM EXHIBET.

Quum mihi de specimine aliquo Dissertationis inauguralis cogitanti thema, huic fini commodum, esset indagandum, prae multis, quae animo obuersabantur, suffragium meruit meum, illud: *de effectu rei iudicatae aduersus eos, qui in lite, non fuerunt*: Haud ego quidem ignoro, hoc nobilissimum argumentum a Iureconsultis eximii nominis, nimirum ab ANDREA TIRAQVELLO, in commentario peculiari ad tit. Cod. inter glos aëta vel iudicata, aliis non nocere, qui commentatorius in Tom. VI eiusdem operum agmen claudit; deinde a SAMVELE STRYKIO, in peculia-ri Dissertatione: *de auctoritate rei iudicatae contra tertium*; et ab AVGUSTINO DE LEYSER, in Medit. ad Digest. sp. 472 ex professo pertractatum extare: Quum tamen STRYKIVS, in cit. Diss. cap. I, §. 9, commentator TIRAQVELLI nuda magis collectanea, quam genuina legitimis fundamen-  
tis

A



tis innixa principia continere iudicauit, et LEYSERVUS in dicto *spec. m. 1*, STRYKIVM rem plane non confecisse contendit, vtique operaे pretium me facturum esse putavi, si ex ipsis legum fontibus, nimirum ex L. 63, *Dig. de re iudic.* ex L. 44, *Dig. eod. tit.* et ex c. 25 X. *de sentent.* et *re iudic.* quibus tanquam fulcris tota haec materia superstruitur, tractationem meam repetere, atque Doctorum circa hos textus obseruationes curate collectas iusto simili ordine proponere pro viribus annitor.

### S. H.

**REI IUDICATAE NOTIONEM EIVSQUE INDOLEM  
SISTIT.**

Antequam vero ad ipsam L. 63, *Dig. de re iudic.* endicationem, ob discrepantiam vulgatae et Florentinae lectionis, et vitiosam eiusdem interpunctionem paullo difficultiorem progredior, notionem primum rei iudicatae, atque eius, qui in hoc argumento vsum praestare, effetus considerare non abs re erit; est vero *res iudicata* in sensu speciali talis, causae in iudicio legitime disceptatae judicialis decisio per lapsum legitimi temporis ita corroborata, ut finem liti imponat. et nullo amplius remedio suspensiō a viribus suis suspendi possit, L. 8, *Cod. de exec. rei iudic.*, L. 14, §. 1, *Dig. de apell.* L. 1, *Dig. de re iudic.* STRUVIVS exerc. 144, *ib.* 2, GAIL *Libr.* 1, obs. 167, Lapsus legitimi patii, ut sententia vim rei iudicatae nanciscatur, absolute requiritur, nec prius victori ex ea ius radicanum nascitur; Nou. 23, c. 1, L. 50, §. 1, *Dig. de Legat.* 1, L. 65, §. 2, *Dig. ad Sct. Trebell.*, c. 13, et 15 X. *de sentent.* et *re iudic.* interposito enim intra illud contra sententiam remedio suspensiō, causa mangiante

211

A

gra,


2

gra, eaque denuo cognita prior sententia corrigi refor-  
marique potest; quod demum omisso intra legitimum  
tempus omni remedio suspensio cessat: IAC. GOTHOFR.  
*ad L. 207, in fin. Dig. de R. 1.*; ut tamen sententia in  
rem iudicatam abire possit, ea praeterea a iudice com-  
petente, seruato iuris et processus tramite, lata esse de-  
bet; alias, et quidem, si requisitis sententiae substantia-  
libus destituitur, nulla est ipso iure, *L. 4, Cod. de sentent.*  
et *interloc.*, hinc probe iterum dispiciendum venit, an  
sententia nullitate insanabilis, an vero sanabili labore?  
Nam illa quidem, non vero haec, sententiam a viribus  
rei iudicatae excludit; Rec. Imp. nouiss. de a. 1654, §.  
122 sequ. III. GEORG. LVDW. BOEHMER in *Princip. Jur.*  
*Can.* §. 868, l. d., vbi etiam, et §. seq. vide sis exempla  
sententiarum, quae citra nullitatem in rem iudicatam non  
abeunt, veluti sententiae criminales condemnatoriae ini-  
quae, et sententia matrimonium vel ex errore falsae cau-  
sae dirimens, vel absolute prohibitum ex errore facti  
pro valido declarans: Haec vero, quia scopum meum  
leuiter saltim tangunt, lubens praetermitto, meque ad  
considerationem praecipuorum rei iudicatae effectuum  
verto, quo eo melius deinde iudicium formari possit,  
quatenus hi contra tertium locum inuenire possint.

S. III

EXPOSIT EFFECTVM REI IUDICATAE, VI CVIVS  
IN FORO HVMANO PRO VERITATE ASSVMITVR,  
NEC NISI RARISSIME NOVAE COGNITIONI  
SVBIICI POTEST.

Huc autem praecipue spectat is rei iudicatae effe-  
ctus, ut quidquid ea contineat ad effectum iuris, pro ve-  
ritate



ritate habeatur; quamvis iudex saepius mathematica certitudine destitutus sententiam suam probabilitati committere coactus sit, et haud raro in circumstantiis et applicatione a vero defletere possit; ut hinc CARPZOV. *P. I.*, *Conf. 26, def. 21*, haud dubitet; sententias inter casus fortuitos quodammodo referre; hoc tamen non obstante sententia, ut iam monitum est, simul ac in rem iudicatam transiit, iuridice saltim pro veritate accipitur; ita, ut regulariter sub nullo iuris praetextu, quod semel iudicatum, denuo in controversiam renocari queat, STRYK in *V. M. Dig. tit. de re iudic. §. 22*, tenet igitur res iudicata, ac si ipsa veritas, de qua inter partes haec tenus disceptatum fuit, in ea contineretur, *L. 25, Dig. de stat. bon. L. 207, Dig. de R. I.* MEVIVS *P. II.*, *def. 195, n. 2*, CARPZOV *Liber. III, resp. 96, n. 6*, sic res iudicata in causa status filiationis, vel ingenuitatis ad effectum iuris filium et ingenuum reddit, qui a natura talis non est, STRYK in *V. M. Dig. cit. tit. §. 20*, pati modo debitorem constituit; qui talis re vera non erat, RICHTER *Vol. I, conf. 45, n. 35*, BRVNNEMANN *conf. 68, n. 2, seqq.* quae omnia ex re iudicatae immutabilitate prono sequuntur alioe, sunt quidem in iure nostro visiones huic regulae derogantes, veluti, si sententia ex falsis instrumentis lata fuerit, *L. fin. Cod. si ex fass. instrum. L. 33, Dig. de re iudic. et effect. sentent.*; porro, si falsus reipublicae insigne inde damnum sentiret, de quo vide DE LEYSER in *Med. ad Dig. sp. 472, m. 6*, et IIP. HELLEFELD in *Comp. Dig. §. 1792*, tandem, si ex iure iurando tam purgatorio quam suppletorio falso lata fuerit, *L. 31, Dig. de iure iur. siue volunt. siue necessar.*; quanquam vero in his casibus rei iudicatae autoritas labefactetur, pertinent tamen illi solum

S. A.

lum ad exceptiones, quae regulam in casibus non exceptis magis firmare, quam infringere dicuntur.


S. III

DE ALTERO REI IUDICATAE EFFECTV, NIMIRVM  
EXEECVTIONE, EIVSQUE NOTIONE TRACTAT.

Quum igitur ex haec tenus propositis indubitate juris sit, rem iudicata regulariter retractari non posse; iam inde alter eiusdem effectus, ut scilicet res iudicata in actum ducatur, satis intelligitur; hinc igitur est, ut auctore obtinente, reus manu judiciali cogi possit ad id praestandum, quod in re iudicata continetur; ut vero e contrario reo absoluto contra auctorem, eosque omnes, quos res contra hunc iudicata tenet, quovis tempore exceptio rei iudicatae in promptu sit: est vero executio, de qua hic agitur, Etus, quo res iudicata, cui obsequium condemnatus praestare renuit, iudicis auctoritate per media coactiva effectui mandatur. Ill. GEORG. LUDW.  
BOEHMER in Princ. I. C. §. 870; supponit igitur executio, condemnatum rei iudicatae tenorem implere recusare, hinc, antequam ad eam deuenire fas est, congruus partitioni a iudice praefigendus est terminus c. 15, X. de sentent. et re iudic., qui hodie secundum iura prouincialia, et si haec nihil determinant, arbitrarie constituendus est, nec praecise, ut de iure Romano spatium quadrimenstre continere debet, L. vlt. Cod. de exec. rei iudic. L. 2, et 3, Cod. de usur, rei iudic., BRYNNEMANN, ad has Leges, et STRYK in V. M. Dig. saepe cit. tit. §. 15; hoc demum spatio a condemnato per contumaciam transacto, executio contra eum suscipi debet a iudice competente L. 15,

A 3

pr.



pr. Dig. de re iudic. c. I, §. 3, in 6to, de foro competente, BERLICH P. I, concl. 79, n. 5, seqq.; nam ab incompetente facta pro mero spolio habetur KLOK Vol. II, cons. 99, n. 47; nihil autem refert, siue iudex executionem, quam vi propriae iurisdictionis decernit, immedia te, siue mediate per executorem delegatum peragat L. 6, Cod. de exec. rti iudic., ibique PEREZ n. 3, et 4, STRYK in Introd. ad prax. cap. vlt § 1; executiones tamen sententiarum supremorum Imperii Tribunalium semper per Directores Circulorum Imperii, quibus personae, vel bona, de quibus sententia concepta est, subsunt, in actum deducendae sunt, prouti disserte id iubet Capit. nouiss. Caesar. Art. XX §. 5, verbis: „Auch die Execution, sowohl in diesem, als allen andern fällen anders nicht, als nach Innhalt der Executions-Ordnung durch den Craiss . . . . fürgenommen und vollzogen werden“: eodem modo executio, quae vocatur subsidaria, non per iudicem eandem decernentem, sed per iudicem requisitum, cui condemnatus eiusue bona subsunt, peragenda est, non tamen recusari potest; sed ex praecetto Rec. Imper. nouiss. §. 160, simpliciter in subsidium administranda iustitiae recipienda est a iudice requisito, qui etiam circa transgressionem limitum requisitionis de exceptionibus ipsam tententiam concernentibus minime, bene vero de iis, quae ipsam executionem tangunt, cognoscere valet, Ill. GEORG. LVDW. BOEHMER in Princ. l. C. §. 871.

§. V:



## §. V.

QVOD EXECVTIO REI INTER ALIOS IUDICATAE REGVLARITER TERTIVM NON TANGAT, EX LEGIBVS TRADIT, EXCEPTIONES TAMEN IN ALIS LEGIBVS EXTANTES GENERATIM INDICAT.

Quia vero res iudicata inter partes solum ius facit, nemo non videt, et executionem, quae primarius eiusdem effectus est; in alios, quam qui in lite fuerunt, regulariter decerni non posse: Nihil enim aequitati naturali magis consentaneum est, quam illud iuris Procardicon in legibus saepe repetitum:

Quod scilicet res inter alios acta; vel iudicata, aliis neque commodo, neque fraudi esse debet.

Nam, quid queso! iniquius cogitari potest, quam alicui praeiudicium infligere velle ex facto alieno, ad quod ille neque immediate, neque mediate accessit, quodue impedit in illius haud fuit constitutum potestate. Hoc tamen re ipsa fieret, si iura absque peculiari ratione rem inter alios iudicatam alterius iuri praeiudicium facere permetterent. Agnouerunt hoc aequitatis fundamentum leges nostrae; sic enim in L. 74 D. de R. 1. dicitur: alteri per alterum iniquam non inferri debere conditionem. MARCELLVS etiam, vel vti melius habet Florentina, Ictus MACER in L. 63, D. de re iudic. inquit: „saepe constitu-“ tum esse, res inter alios iudicatas, aliis non praeiudi-“ care „: Idem videre licet in L. 16, D. qui potior. in pign: in L. 14, D. de appell. in L. 2, 3, C. quib. res iud. non noc. in L. 1, D. de except. rei iudic. in cap. 17, et 25, X. de sentent. et re iudic. Ipse tamen Ictus MACER regulae in pr. L. 63, D. de re iudic. a se positae varias subiungit limitationes, a pontifice deinde in cap. 25, X. de sentent. et re

*et re iudic.* repetitas, ex quibus manifestum fit, rem inter alios iudicatam variis ex causis, aliis et prodeesse et noce-re posse. Hinc meae iam exposcent partes, ut, quia L. 63, D. de re iudic. tam ob diuersas vulgatae et Flo-rentinae editionis lectiones, quam ob ipsam verborum et rerum seriem vitiosamque interpunctionem ab interpretibus merito difficultatis arguitur, ante omnia in eo operam collocem, quo restituta verborum integritate genuinus legis sensus curatus enodetur, et limitationes in ea delitentes perspicuis adaequatis que regulis comprehendantur, tandemque exempla a leto proposita aliis in iure nostro extantibus similibus aucta secundum compa-etas regulas examinentur.

§.o VI.  
EXPLICATIONE EORVM, QVAE IN L. 63, D. DE RE  
IUDICATA DVBLIA VIDENTVR, DEFVNGITVR.

Ictus MACER, quando in L. 63, D. de re iudic. ait: „saepe constitutum est, res inter alios iudicatas aliis non praeiudicare“; hoc asserto distinctionem quandam conti-tuere, et deinde huius distinctionis membra enumerare in animo habuit, eumque in finem subiicit: „Nam sen-“ tentia inter alios dicta aliis quibusdam etiam scientibus „obest; quibusdam vero, etiam si contra ipsos iudicatum „sit, nihil nocet“: vti haec verba in editione Digestorum vulgata habentur. Iam quidem si hanc admittere velimus lectionem, distinctionis partes satis expressas ha-bemus, vt videlicet in priore de illis Icto sermo sit, qui-bus scientibus res iudicata obest, in posteriore vero aga-tur de iis, quibus illa nihil nocet. Haec tamen quidem be-ne, sed iam vi proprietatis implicatiuae, qua vox: etiam, gaudet,

gaudet, in verbis supra adducti passus L. 63, D. de re iu-  
dic., etiam scientibus obest; haec casum magis anticipi-  
tem exprimere deberent, ex quo sequeretur, ictum Ma-  
cram in supra laudatis verbis plane praeposterato modo  
statuisse, quod non ignorantis solum, sed etiam scienti  
obst res inter alios iudicata, quodue magis dubia sit quaesi-  
cio, an sciens ex re inter alios iudicata praeiadicium sen-  
tire possit, quam illa, an nimisrum ignorantis ex sententia  
inter alios dicta damnum immineat? hunc vero sensum  
tam recte rationi, quam loquendi usui contrarium verbis  
leti Macri eo minus tribuere debemus, quo magis sub-  
sequentia legis contenta, et ipse ordo, quo propositae  
partes explanantur absurdissimo illo sensui contradicunt.  
His igitur rationibus commotus preferendam utique du-  
co lectionem, quam CVIACIVS Libr. XII, obs. 25, et GO-  
THOFRED. in notis ad nostram legem 63, D. de re iudic.  
n. 49 subministrant „vbi nimisrum addita priori distin-  
„ctio membro negativa, ita legitur: „ quibusdam  
etiam scientibus non obest. Hac enim ratione non tan-  
tum vocabulo: *etiam*, sua seruatur implicativa proprie-  
tas, vt scilicet non ignorantis solum (quod dubitationi non  
obest), sed etiam scienti interdum non nocet res inter  
alios iudicata. Conspirat etiam cum hac lectione quam  
amicissime ordo a loto in traditis membris explanandis ob-  
seruatus. Faleor tamen: ex hac prioris membra lectione  
aliud iterum intuitu lectionis posterioris membra subo-  
riri dubium; quum hoc modo ictus in verbis posterioris  
membr: „ quibusdam vero etiamsi contra ipsos iudica-  
„rum sit, nihil nocet „: id, quod in priore iam fuerat  
dictum, pro parte tantum repetere videri posset; quum  
tamen illum diuersi quid apriore tradere voluisse, tam ex  
B ip[s]is



ip̄is legis verbis, quam e distinctione, quam in mente  
habuit l̄etus, colligere debeamus; sed hanc difficultatem  
facile superabimus, si praeeunte CVIACIO Libr. XII, obs.  
25, vocem: „nihil“ praecedenti potius, quam sequen-  
ti verbo: „nocet“ commate coniungimus; Et sic verba  
*L. 63, D. de re iudic.* menti l̄eti Macri congruenter iam  
ita legenda veniunt: „saepe constitutum est, res inter  
„alios iudicatas aliis non praeiudicare; quod tamen quan-  
„dam distinctionem habet; nam sententia inter alios di-  
„cta aliis quibusdam etiam scientibus non obest; quibus-  
„dam vero etiam si contra ipsos iudicatum sit nihil, no-  
„cet.“

### §. VII.

REGVLAS PROPONIT, QVAE IN DIIVDICANDO EFFECTV  
REI INTER ALIOS INDICATAE CONTRA TERTIVM  
NORMAM PRAESTANT.

Hisce euolutis tricis iam quasdam formare liceat re-  
gulas, secundum quas doctrina haecce, de effectu rei in-  
ter alios iudicatae aliis praeiudicium inferendi exigi atque  
diividicari possit. Primae igitur regulae loco sit proposi-  
tio; quod res contra eum iudicata, cui actio, vel defensio  
primario competit, iis quoque praeiudicet, qui se-  
cundo vel vltiori loco ius actionis, vel defensionis ha-  
bent. Et hanc quidem thesin l̄etus MACER in *L. 63, D.*  
*de re iudic.* tanquam expediti iuris attingere praetermisit;  
nos vero eam infra variis exemplis in legibus secundum  
illam decisim firmabimus. Secunda regula verbis l̄eti re-  
lata in *L. 63, D. de re iudic.* ita se habet: „scientibus sen-  
„tentia, quae inter alios dicta est, obest, quūm quis de  
„re cuius actio vel defensio primum sibi competit, se-  
„quenti agere paciatur.“: Quae propositio clarius adhuc  
expres-

expressa legitur in cap. 25, X. de sentent. et re iudic. verbis: „Quamvis regulariter aliis non noceat res inter alios iudicata: ei tamen, qui quum sibi primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem age. re; ac illi etiam, qui passus est eum, a quo cauam habuit, experiri, est praeiudicium generatum„: idem praecitate obseruauit vir illustris IOAN. ANDR. HOFMANN, incliti Ordinis Iectorum Decanus spectatissimus, cuius in me collata eximii fauoris atque benevolentiae documenta hoc loco publice gratissima mente deueneror, *in der teutschen Reichspraxi*, Vol. 1, §. 821 pag. 512 seq. Tertia demum, regula ex L. 44, D. de re iudic. desumitur, eoque tendit; ut res iudicata profit, noceatque omnibus, qui postea ius suum ab eo, pro quo, vel contra quem iudicatum fuit, confequuti sunt L. 28, *Dig. de except. rei iudic.* hoc quarto, de iis quoque praedicandum venit, qui rem, in quam sententia concepta est, postea acquisuerunt, DE LEYSER p. 472, m. 1, III. HELLFELD §. 1793 d. c.

### §. VIII.

EXEMPLVM QVOD DE DVOBVS HEREDIBVS CVIVSDAM  
DEBITORIS IN L. 63, D. DE RE IVDIC. CON.  
CEPTVM EXTAT, EXPOSIT.

Inoffenso iam pede praemissis hisce regulis ad declarandas species a Icto in L. 63 D. de re iudic. propositas progredi possumus. Has inter primo statim loco occurrit species de duobus debitoris alicuius heredibus, et recte afferitur, condemnationem alterius heredis, quamvis alter sciuerit cum coherede suo a creditore de parte debiti soluenda agi, illi nullatenus praeiudicare; quia, ut Ictus in cit. L. 63, D. de re iudic. pergit: „qui scit coheredem

B 2

„ suum

ꝝ ☙ ☙

„ suum agere vel conueniri, prohibere eum, quo mi-  
 „ nus propria actione vel defensione vtatur, non potest.”:  
 Ratio huius decisionis vltius patescit ex *L. 6, Cod. famil.*  
*hercif.* vbi habetur: inter coheredes actiones actiue, ae-  
 que ac passiue ipso iure esse diuisas, ita, vt cuiuslibet he-  
 redis pars a parte aliorum diuersa separataque sit; et pro-  
 priam producat actionem atque defensionem, quae quam-  
 uis descendant ex eodem iure, tamen a reliquorum he-  
 redum actione nullatenus pendent: Huc etiam faciunt  
 verba *L. 22 D. de except. rei iudic.* vbi Petrus Paullus, post  
 quam asseruit, exceptionem rei iudicatae coheredi non  
 prodesse, hanc subiungit rationem: „Nam etsi eadem  
 quaestio in omnibus iudiciis vertitur, tamen persona-  
 rum mutatio, cum quibus singulis suo nomine agitur,  
 aliam atque aliam rem facit.” Ex quibus generaliter  
 colligi debet; non solum requiri, vt sententia tertio non  
 noceat, quod agentem prohibere non potuerit, sed et-  
 iam, quod propriam ab agentis iure et inde descendente  
 actione independentem habeat actionem. Obstare qui-  
 dem videri posset, quod, quia in proposita specie cohe-  
 redes unum idemque ius habent inter eosdem tantummo-  
 do diuisum, coheres quoque alteri praeiudicium ex re  
 contra coheredem iudicata imminens ope remedii suspen-  
 sivi auertere possit et debeat, sed quamvis negari nequeat,  
 vni coheredi ex condemnatione alterius aliquale enasci  
 praeiudicium, in eo consistens, vt creditor eo facilius  
 contra illum quoque obtainere possit; non tamen rei  
 iudicatae effectus ex sententia in coheredem concepto illo  
 modo ad illum produci potest, quem teste *L. 15, §. 2,*  
*D. de inoffic. testam.* saepe accidere possit, vt inter plures  
 coheredes alter in eadem causa victor discedat, in quo  
 alter

alter succubuit; Quando tamen res, de qua lis est, sua natura individua est, ex accidenti sententia contra unum heredem lata alteri quoque per consequentiam praeiudicat, L. 10, D. quemadmodum seru. amitt. et tali specie, obseruante zasio ad l. d. 63 D. de re iudic. n. 20, cum singulis coheredibus in solidum agi potest. Quod etiam de ea visione dicendum est, quo coheres litigii cum coherede suo gesta actu interuenit, quia in tali specie dici nequit, item plane inter alios actam esse, FABER in Cod. tit. 19, def. 4, n. 9; STRYK in V. M. π. tit. de re iudic. §. 40.

## §. VIII.

DE ALTERO IN L. 63 COMPREHENSO EXEMPLIO DVO: RVM PETITORVM EXPOSIT, AGGYSII, ZASIQUE DE HAC SPECIE OPINIONEM REFELLIT; ET ALIAM BERGERI SINGULAREM OPINIONEM CVM LEYSERO IMPROBAT.

Ex iisdem plane principiis dijudicandum venit alterum, quod Ictus in saepe cit. L. 63 proponit, exemplum de duobus petitoribus, quorum alter vietus alteri non praeiudicare dicitur, et huic in fine n. l. aliud simile subiungit, quo eo magis prioris ratio illucesceret; Accursum quidem et cum eo plerique interpretum, inter quos et ZASIVS ad dict. L. 63, n. 4, nominandus est, illud de duobus heredibus creditoris cuiusdam accipiunt, ad instar eius, quod in §o praecedente de heredibus debitoris relatum est; sed haec explicatio non solam proprietati dictio, petitoris, quippe quae ad actiones reales proprie tam pertinet L. 28, D. de oblig. et art. L. 178, §. 2, D. de V. S. manifesto vim infert; sed etiam casum a Icto tractatum penitus inauertit, dum duos petidores pro duobus heredibus vniuersi auctoris accipiunt. Missis ve-



ro his aliam BERGERI singularem opinionem, quae in  
P. II, suppl. ad Elect. Discept. forens. pag. 1829 seqq. ex-  
stat, proponam. Iubet nempe eum, qui rei vindicatione  
conuentus fiduciam de iure suo certam habet; ut non  
contentus intentionem petitoris penitus negasse, simul se  
rei illius dominum affirmet, et probationes desuper pro-  
ducat, vrgeatue, ut in sententia ipse non saltem absolu-  
tur ab auctoris intentione; sed ut praeterea super demon-  
stratione dominii a se facta sententia feratur, et ipsem  
dominus declaretur; hoc enim pergit, si fiat, *in eiusmo*  
» di sententia et paratam tibi contra quemcunque aucto-  
» rem exceptionem praestabit, et sufficientem dominii  
» probationem in omni causa suppeditabit »: Hanc si ad-  
mitteremus BERGERI sententiam, actum esset de decisione,  
quam ictus in nostra lege de duobus petitoribus submitti-  
strat. Nam sic cuiuscumque, licet ex plane alio sibi que  
proprio iure agenti; exceptio rei iudicatae petitionem  
praescinderet, dummodo is, qui iam reus existit, in alia  
de eadem re mota lite a iudice impetrasset, ut ipsum non  
simpliciter absoluueret, sed insuper ius suum validum fir-  
mumque declararet; quod vero, quum contra claram  
nostrae legis dispositionem impingat, cum LEYSERO in  
sp. 471, m. 8, ex rationibus, quas ibi larga manu tradit,  
negandum vitique duco.

### §. X.

ALIA SIMILIA EXEMPLA IN LEGIEBUS ALIS OBVIA, VBI RES  
INTER ALIOS IVDICATA ALIIIS PRAEIVDICAT, TRADIT.

Exemplis his a icto propositis ex iure nostro non  
minus alia adiungi possunt; sic enim vxori ex condemna-  
tione mariti ad soluendum nullum oritur praeiudicium;  
nam L. I, Cod. ne vxor pro mari. eam ad expungenda  
mariti

mariti debita obligatam non habet, PEREZ ad cit. leg.  
 CARPZOV in Iurispr. forens. P. I, Conf. 32, def. 20. Quod  
 tamen secus est ratione coniugum, quos inter communio  
 bonorum vniuersalis obtingit. Pari modo condemnatio  
 debitoris principalis non statim contra fideiussorem effe-  
 ctum rei iudicatae sortitur; maxime si hic propriam et a  
 debitoris exceptionibus diuersam habet defensionem,  
 quam illi auferendam non esse statuunt, FABER in Cod.  
 Libr. VII, tit. 25, def. 6, n. 2, BRVNNEMAN in Proc. ciu.  
 cap. 29, n. 15; Nisi fideiussor a defensore de iudicato sol-  
 lendo datus fuerit, HYBER ad Digest. tit. de re iudic. n. 14.  
 Porro, huc pertinet, si vnum condominorum vsumfru-  
 etum fundi communis vxori legauerit, et heres eius dein-  
 de cum altero condomino egerit communi diuidendo, et  
 diuisiōnem obtainuerit, quod vxor in fundo pro iudicio  
 ex parte dimidia vsumfructum legatum habens sententiae  
 diuisoriae inter heredem et alterum condoninum latet  
 stare non teneatur; quia arbiter inter alios iudicando al-  
 terius ius immutare haud potuit, L. 31, D. de us. et usu-  
 fr. legat. Eadem ratione creditori, cui in fundo Tuscu-  
 lano hypotheca constituta est, salua manet actio hypo-  
 thecaria, si debitor fundum Tusculanum a tertio vindic-  
 cans ideo superatus sit; quod rem suam esse probare non  
 potuerit; Modo creditor probare possit, fundum in bo-  
 nis debitoris eo tempore, quo pignus contrahebatur,  
 fuisse. L. 3 Dig. de pignor. Haec tamen decisio de ea  
 accipienda est visione, qua sententia absolutioria simplex  
 pro reo data est, nec simul continet, dominium rei tem-  
 pore oppignorationis fuisse victoris; innuunt hoc satis  
 verba legis: „quia non probauit rem suam esse“; Id,  
 quod vero creditori non nocet, quo minus docere adhuc  
 valeat,  
 ibit


valeat, rem tempore oppignorationis in bonis debitoris extitisse; prouti hoc magis insuper confirmatur per rationem, quam PAPINIANVS nostrae decisionis autor in d. L. 3, D. de pignor. subministrat: „ fieri enim potuit, ut et pignus recte sic acceptum, nec tamen a debitore his bene instituta, ut de hinc sententia contra debitorem lata creditori praeiudicare non debeat „. Similiter in querela inofficiosi testamenti fieri potest, ut filius inique exheredatus contra alterum heredem obtineat; ab altero vero ipse supereretur; quo casu sane nec coheredi nocebit, quod alter heres a filio vietus fuit; nec filio damno erit, quod alter a querela absolutus fuerit; sed ipse pro parte, qua obtinuit, heres erit; L. 15, § 2, D. de inoffic. testam. L. 16, 19, et 25, §. 1, cod. tit. STRYK in V. M. D. saepe cit. tit. §. 25. Vbique enim hic quadrant rationes a Icto MACRO sub initio L. 63, D. de re iudit. allatae; quod nimurum in genere verum sit, inter alias acta, aliis praeiudicare non debere. STRYK in V. M. D. saepe cit. tit. §. 50.

**EXEMPLA EX IVRE RERVM AD ILLUSTRATIONEM REGVLAE PRIMAE S. VII. POSITAE PERTINENTIA CONTINET.**

Consideratis huc usque exemplis, in quibus res inter alios iudicata aliis non praeiudicat; iam secundum regulas supra §. VII., extantes visiones, in quibus sententia aliis dicta aduersus tertium effectum habet, prolixius expendere debemus; et primo quidem loco de illis videntur est, vbi res contra legitimum contradictem, seu eum, qui primas in agendo vel defendendo partes habet, iudicata, sequentibus quoque praeiudicat: sic enim vendicior er quilibet alius autor rem contra emtorem et eum iudi-

iudicatam, in quem rei suae dominium vel possessionem  
 faltim qualificatam transtulit, contra se quoque admittere  
 debet, Perill. PUFENDORF Tom. III, obf. 64, §. 2; utrum  
 vero res contra creditorem pignoris possessorum iudicata  
 debitori simpliciter praeiudicet? ab HARTM. PISTOR. Libr.  
*IV*, qu. 29, et ERIC. MAVRITIO in *Diss. de iure interuen-*  
*tionis* §. 18 in *Collect. Diss.* et opusc. eiusdem p. 455. item  
 a MEYERO in *Colleg. Argentoratensi tit. de re iudic.* §. 73.  
 ex his potissimum rationibus in dubium vocatur, quod  
 debitor nullum ius a creditore habeat, neque adeo cre-  
 ditore agente ex voluntate debitoris de iure, quod ex  
 persona agentis habuerit, iudicatum sit; deinde quoque  
 creditor propria instructus actione primas in agendo, vel  
 defendendo teneat partes; et hinc a debitore, quo minus  
 defendendo, vel agendo ius suum prosequatur, prohibe-  
 ri non possit; quo vero casu differte in *L. 63 D. de re iu-*  
*dic.* constituitur: rem inter alios iudicatam aliis non prae-  
 iudicare: Et verum quidem omnino est, debitorem pro-  
 hibere creditorem ne agat, vel defendat, non posse; nec  
 dici potest ex voluntate debitoris iudicatum esse de iure,  
 quod ex persona agentis creditoris habuit; nullum enim  
 plane ius debitor a creditore suo consequitur; sed haec  
 sola non sufficiunt, ut res contra alium iudicata alii non  
 possit praeiudicare; potius, quemadmodum supra §. 8.  
 euictum dedi, insuper requiritur; ut ius eius, qui effe-  
 tum rei inter alios iudicatae contra se admittere recusat,  
 ita ab agentis iure et actione separatum atque diuersum  
 sit, ut propriam ab agentis iure et actione independen-  
 tem et peculiari fundamento innixam actionem producat.  
 Tale vero a creditoris iure plane independens ius in re  
 oppignorata debitor non retinet, potius creditor eandem  
 fere

C



fere actionem, quam dominus et debitor, habet, hancque veluti debitoris procurator exercet; nam debitor, hoc ipso, quod pignus creditoris constituit, hunc suum procuratorem intuitu pignoris agnoscit; ut sic dici quoque possit, ex voluntate debitoris, de eius iure contra creditorem iudicatum fuisse. Perill. PVENDORF cit. loc. §. 6. Eodem modo maritus, tanquam doris dominus, ut dicitur, ciuilis vxori et socero re contra se intuitu rerum dotalium iudicata praeiudicium conciliat. Ex quo etiam deducitur, rem contra dominum de feudi dominio directo litigantem iudicatam vasallo eatenus praeiudicare, ut feudum iam ab eo recognoscere necesse habeat, qui per rem iudicatam feudi dominus directus declaratus est: ROSENTHAL de feudis cap. 9, m. 1, concl. 24. Et quia hoc casu mutatio in manu dominante intercedit, vasallus quoque de renouatione inuestiture tempestive sollicitus esse debet: Sic quoque vasallus de dominio utili sive agendo, sive defendendo litigans, quum ipse huius intuitu solus legitimus sit contradictor, per rem contra se iudicatam domino directo praeiudicium infert; vti II. feud. 8, 43 et 26, diserte constitutum legitur, huius posterioris textus verba perquam stringentia ita habent: „si vasallus de beneficio suo agat, vel conueniatur, sive obtinet, sive non, licet ignorante domino fiat, omni tempore firmum erit iudicium: Adde ROSENTHAL cap. 9, m. 1, concl. 23, n. 3, BITSCH ad II. feud. 26. Idem dicendum erit, quando v. c. dominus emphyteuseos, vel superficiei de dominio directo, vel etiam proprietarius fundi, in quo ipse alii vsumfructum concessit, de proprietate litigauerunt, et sententiam passi sunt; haec enim virtute tam emphyteutae, quam superficiario ad eum effectum,

fectum, ut victorem pro suo domino agnoscere teneantur, praeiudicat; usfructarius vero concedente in lite proprietatis victo ipsum amittit usfructum, L. 16 Dig, quib. mod. usfr. amitt. Attamen et vice versa emphyteutae et superficiarii de dominio emphyteuseos, vel superficie usl ipsi met competentem litigantes et succumbentes, ex eo obligant suos dominos; aequo ac vasallus possessor dominum feudi directum, agnatosque aliquando ad feudi successionem venientes ex sententia contra se lata obligatos reddit.

### §. XII.

CASVS EX IURE PERSONARVM AD PRIMAM REGVLAM SPE-

CTANTES ENVMERAT.

Ex iure personarum elegans huius rei species tractatur in L. 25, D. de statu homin. in qua dicitur: „ingenuum etiam accipere deberi eum, de quo sententia lata est; quamvis fuerit libertinus, quia res iudicata pro veritate accipitur“: supponit haec decisio, item cum legitimo gestam esse contradictore, qui hoc loco verus liberti patronus est; si igitur postea alii liberto statum ingenuitatis huic contra patronum per rem iudicatam assertum in dubium reuocant; illis merito rei contra patronum iudicatae exceptio obstabit; quia verba sententiae de ipso statu et contra legitimum contradictorem concepta sunt; ex cuius iure per sententiam iam rejecto hi ipsi alii fundamentum nouae litis repetere necesse haberent, CARPZ. P. I, Conf. 26, def. 16, n. 1, IDEM Libr. II, Resp. 104, m. 12. Quando vero nouus auctor probare potest, reum in priori lite non contra legitimum contradictorem ingenuum pronunciatum fuisse, tunc decisio L. 25, D. de statu homin. cessabit, per claras leges: I et 5, D. si

C 2

**D. si ingen. esse dic.** L. 3 D. de collus. deteg. vbi generaliter constituerit: „quum non iusto contradicitore quis ingenitus pronunciatus est, perinde inefficax esse decretum, atque si nulla res iudicata interuenisset“: Pari modo filio contra patrem, qui solus hic est legitimus contradicitor, de statu filiationis propria rem iudicatam obtinenti, haec prodest contra quoscunque alios, vt in L. 1, §. f. D. de agnosc. et alend. liber. et in L. 2, D. eod. constitutum extat; et hoc STRYK saepe cit. tit. §. 8, recte ad vxorem extendit, si illa in contradicitorio iudicio contra maritum legitima eius vxor pronunciata est: Nec de fraternitate deficiente patre a fratre vel sorore contradicita, et per sententiam asserta dubium esse potest, quin contra omnes prodefesse debeat, arg. L. 2 D. de agnosc. et alend. liber. sententia itidem contra heredem lata obest legatariis, quia per L. 3 D. de pignor. legata aliter valere non possunt, quam si testamento, in quo relicta sunt, suum constat robur; dummodo testamentum hoc casu ex causa praeteritionis, vel defectus in solemnibus impugnatum fuerit; nam intuitu exheredationis iniquae liberorum, vel parentum per Auth. ex causa: Cod. de liber. praeterea vel exhered. ius antiquum in L. 8 §. 16 D. de inoffic. testam. obuium eatenus mutatum est, vt hoc casu legata nihilominus salua maneant; haec tamen iuris antiqui correctio ad legata in testamento a fratre, vel sorore inique exhereditatis rescisso relicta non est trahenda, Nou. 115, c. 3, et 4, iuncta Nou. 22, c. 47, conf. praeterea STRYK in V. M. tit. de re iudic. §. 39. Ill. HELLFELD in Comp. Dig. §. 557 \*\*. Immo et sententia criminalis absolvatoria pro reo super crimine publico data contra alios accusatores eatenus prodest, vt iam hi, nisi doceant se praecedentem accu-

accusationem ignorasse, et praegnantes prae se ferant rationes, ad nouam accusationem non admittantur, L. 7 §. 2 *Dig. de accusat.* de qua dispositione in eo mihi latere videtur ratio, quia in crimen publico quilibet ex populo legitimus habebatur accusator; itaque si hic succubuit, sententia absolvitoria inter omnes regulariter pro iure obtinebat: *zasius ad L. 63 Dig. de re iudic. n. 77.* sed adeo de requisitis hic supponendis *STRYK in V. M. cit. tit. §. 45.* Tandem sententia inter alios dicta, quae per necessariam consequentiam alterius ius excludit, non potest non hoc pertinere; et tales speciem in L. 1 §. f. *D. de Carbon. edict.* habemus, ubi quaeritur, an propter statum pueri quaestio differenda sit, si mater eius suppositi partus arguitur? et negatur, quia hic mater principaliter rea postulatur, qua coniuncta, non potest non et suppositio partui exinde praejudicium gigni. *STRYK cit. tit. §. 42.*

### §. XIII.

RECENSVM EXEMPLORVM EX IURE PERSONARVM CON-

TINVAT.

Ex iisdem plane principiis ciuii, qui contra magistratum statum ciuitatis sibi competere euicit, haec sententia tanguam contra legitimum contradictem lata prodest aduersus quoscunque alias arg. L. 25, *Dig. de statu homin.* Immo et fratribus eius victoria prodest; si nempe originarium ciuitatis ius eidem adjudicatum fuit, *TIHQVÈL in Tr. de nobil. cap. 37 n. 14.* Eodem iure sententia de nexu subiectonis lata prodest contra omnes, qui illum de nouo in dubium reuocant, nec aequi imperium ciuale in personam, de qua quaeritur sibi arrogare student; de hoc casu vide *STRYK cit. cit. §. 37 c. 17 X. de*

X. de sentent. et re iudic. ibique ZIEGLER, ZASIVS, item ad L. 63 D. de re iudic. n. 39. GAIL Libr. I. obs. 12 n. s. Nec minus, si quis nobilis vel ignobilis pronunciatus est, sententia inter omnes vires suas exserit; modo cum legitimo contradicte fuerit litigatum, qualis in hac specie vel iprinceps, vel status provinciales audiunt, TIRAQVEL de nobilit. cap. 37 n. 2 et cap. 17 n. 3, STRYK in V. M. cit. tit. §. 32. Ex iure demum illustrium huc spectant sententiae super primogenitura, vel maioratu cet. legitimo interueniente contradicte conceptae, quippe quae eis non possunt non nocere, qui post eum, qui in lite superatus fuit, ad nouam primogenituram obtenuit iuris sibi ex persona primi acquirentis competentis aspirare cupiunt; hi enim, quum in eadem qualitate et defendendi ratione, quae in antecessore victo se excerebat, nouam actionem fundare necesse habeant, rem quoque contra illum iudicatam agnoscere debent: FABER in Cod. Libr. VII tit. 10 def. 4, BRVNNEM ad L. 44 D. de re iudic. DAC. COVARRVV. Pract. Quaest. Libr. I. cap. 13 n. 6.

#### §. XIV.

DE CASIBVS AD REGVLAM SECUNDAM PERTINENTIBVS EXHIBET ILLVM, QVI IN L. 63 D. DE RE IUDIC. DE CREDITORE DEBITORE SCIENTER DE PIGNORE AGERE PERMITTENTE CNCEPTVS EST, LEGESQUE APPARENTER ILLI OBSTANTES REMOVET.

De secunda supra §. 7. proposita regula Ictus MACER in L. 63 D. de re iudic. primo loco afferit exemplum creditoris debitori, quum tamen ipse in agendo defendendoque primas teneat partes, de pignore agere permittentis; quem ictus ideo ex re contra debitorem iudicata

cata obligatum habet, quia ex voluntate eius, de iure, quod ex persona agentis habuit, iudicatum est: Lectio quidem vulgatae editionis his verbis: „*veluti si debitor experiri passus sit creditorem*“: debitori in proposita specie primas in agendo et defendendo tribuit partes; praefat tamen Florentinam sequi lectionem, quae creditori legitimis et primariis contradictoris partes assignat; quod etiam iuri nostro optime congruit; sic enim in L. 16 D. de seruit. et L. 9 D. de nou. oper. nunciat. creditori ex sua persona rei et seruitutis tribuitur vindicatio utilis; et seruitutes creditore iis uti intermitente amitti dicuntur in L. 15 D. de pignor. act. vtitur porro iudicio finium regundorum per L. 4 § 9 fin. regundor. suscipit denique iudicium de communi diuidendo, et quidem eo effectu, ut quicquid ipsi in diuisione assignatum fuerit a debitore pignus reluente agnoscendi debeat L. 7 §. 13 D. de commun. diuid. Perill. PVFFEND. Tom. III. obs. 64 §. 4. Vice tamen versa creditori pignoris possessori et patientiam debitori non praestanti ex huius condemnatione nullum oritur praeiudicium; creditor enim, non vero debitor, primariam de pignore litigandi facultatem habet, et hinc eidem extra catum praestitae patientiae ex re contra debitorem iudicata non praeiudicari diserte constituitur in L. 29 §. 1 D. de except. rei iudic. Quod magis adhuc confirmatur in L. 3 D. de pignor. vbi nequidem simplici hypothecario creditori praeiudicium inferri dicitur, ex sententia debitoris aduersa, quam super hypotheca cum tertio litigans acceperat, modo creditor probaret, rem hypothecatam eo tempore, quo pignus contrahebatur in bonis debitoris fuisse, eadem fere species decisa extat in L. 11 §. f. D. de except. rei iudic. vbi VLPIANVS hanc subiungit

iungit rationem; „ quod et ille petere debuerit, et ego  
„ saluam habere debeam actionem pignoratitiam.

### §. XV.

ALTERVM L. 63 D. DE RE IUDIC. EXEMPLVM DE  
MARITO VXOREM VEL SOCERVM DE DOTE AGERE  
PERMITTENTE. ET ALIQVAS EIVS INTVITV  
EXORIENTES QVAESTIONES TRACTAT.

In L. 63 D. de re iudic. secundo loco a lato exponitur de marito, qui vxorem vel sacerum de re in dotem accepta litigare patitur; et sententia contra hosce lata utique ex praescripto nostrae legis marito praeiudicabit; quippe „ ex cuius voluntate, vt in nostra lege habetur „ de iure quod ab agente habuit, iudicatum fuit „: Congruit hoc decisum optime regulae, quam supra §. VII<sup>mo</sup> verbis L. 63 D. de re iudic. et cap. 25 X. de sentent. et re iudic. secundo loco retuli; transit enim res ab eo statim momento, quo in dotem data est, in mariti plenarii administrationem, seu, vt alias dicitur, in eius dominium ciuale; et hinc dubii nil supereft, maritum intuitu dotis legitimum esse actorem et defensorem; quod adeo verum est, vt secundum regulam neque vxor, neque sacer stante matrimonio vindicationem vel aliam quamlibet de doce actionem mouere valeant, L. 9 C. de R. V. L. 75 D. de ius dot. L. 30 C. eod. hinc recte BRVNNEM. ad cit. L. 9 C. de R. V. sententiam contra vxorem vel sacerum inscio marito de re dotali latam huic nullatenus praeiudicare, statuit: Aliud tamen dicendum est, quando obmetum amittendae dotis, marito ad inopiam vergente, vxori secundum L. 24 pr. D. solut. matrimon. dos quemadmodum pet. dos sua plenario iure restituta est; tunc enim tertius

tertius non contra maritum, quippe qui omni administratione et agendi facultate exutus est, sed contra vxorem proprio iure dotem suam defendantem experiri debet, *ZASIVS ad L. 63 D. de re indic.* HARTM. PISTOR. *Libr. IV, qu. 29, n. 25.* Nec dubitari debet: rem contra vxorem eo tempore iudicatam, quo ipsa fundum dotalis a marito receptum proprio iure pessidebat, huic obesse, si expost eidem dos ab vxore, ob meliorem, ad quam rediit, fortunam, restituta fuerit; maritus enim in casu proposito dotem ab vxore ex plane noua causa recipit, et hinc, quia ab vxore ius suum habet, secundum regulam in *L. 44, D. de re indic.* fundatam, rem quoque contra illam iudicatam agnoscere tenetur; nec enim vxor, quem ipsa sola legitimae aetris acque defensoris vices intuitu dotis sustinuerit, ius nominandi maritum habuit, qui eo tempore omni dotis administratione carebat; nec marito integrum fuit: item ab vxore in se transerre, *ZASIVS ad L. 63, nr. 35, in fine*, obligatur igitur ex re contra vxorem intuitu dotis postmodum ipsi restitutae iudicata, sive litem sciuerit, sive minus; scientia enim in *L. 63, D. de re indic.* in eo tantum requiritur, qui primas in agendo defendendoque partes habet; ut fusi sive antecedente demonstratum est. Tandem illud quoque hic dispiciendum venit, num tertius de fundo dotali cum vxore magis, an vero cum marito agere debeat? si fundi dotalis administratio non quidem in vxorem, ob mariti tamen imminentem inopiam a iudice in alium ea lege translata est, ut hic fructus ex fundo prouenientes marito exhibere teneatur; et magis dicendum puto, contra maritum, vel administratorem a iudice datum nomine mariti litem de fundo dotali mouendam esse. Quum enim

D

fructus



fructus in supposita specie retineat maritus, statuendum quoque erit, administrationem fundi dotalis eius magis, quam vxoris nomine a tertio geri; si igitur vxor hoc casu litem cum tertio ignaro marito suscepit, et victa discessit, hoc arg. L. 9, C. de R. V. et secundum ea, quae BRVNNEMANN. ad b. l. notauit, marito nullatenus praeiudicaret.


### §. XVI.

SUPER TERTIO L. 63 D. DE RE IVDIC. EXEMPLIO DISSE-  
RIT, EMTORIQUE CAVTELAE LOCO SVADET, VT, SI IPSE  
VENDITOREM A LITE SUPER RE EMTA EXORTA DEPELLE-  
RE NOLIT, PROTESTATIONE SALTIM PRAEIVDICIVM EX  
HAC LITE SIBI IMMINENS AVERTERE STVDEAT.

Tertia, de qua ictus MACER in nostra L. 63, D. de re iudic. loquitur, species de emtore concepta est, qui sciens venditori de rei proprietate litigare permittit, et de hoc statuere nullus dubitat, quod ex sententia contra venditorem lata executionem contra se admittere teneatur; innititur vero haec decisio iisdem fundamentis, quae Sis proxime antecedentibus adducta extant; et ideo voluntas, seu patientia emtoris et generaliter eorum, qui in agendo, vel defendendo primas tuerintur partes, a icto desideratur, quo ostendat: apud hosce stetisse, litem ab aliis non aequa primas tuerintibus motam in se transferre, eosdemque a lite depellere; qualitatem autem juris eo fine determinat, vt appareat: emtorem venditori de re emta litiganti patientiam praefantem ex ea potissimum ratione per rem contra venditorem iudicatam obligari, quia eiusdem ius iure venditoris per sententiam iam rejecto innititur. Ex his igitur rem curatius paullo consideranti patebit, duo simul vt adsint, requiri, quo sen-

tentia

tentia secundo dicta, ei, qui primas in agendo et defendendo tenet, ex sua patientia praeiudicari possit; nimirum I) ut quis alterum, quo minus agat, vel defendat, prohibere potuerit; et deinde II) ut ius eius, cui ex sententia contra alterum lata praeiudicium nasci debet, cum iure agentis ita fuerit connexum, ut ab hoc pendeat, et alter denuo agere velens in huius iure potissimum intentionem suam fundare necesse habeat, prout recte notat HARTM. PISTOR *Libr. IV, qu. 29, n. 14.* De eo vero, quod emtori primae in agendo sint tribuendae partes, etiam exinde dubitatio plane omnis eximitur, quia emtor a tertio conuentus laudationis exceptione *rei nequit*; licet vero emtor inscio venditore de re emta litigare et possit et debeat, ipsi tamen cautelae loco suadendum est, vt autori suo item denunciet, et, vt sibi in defensione assistat, petat, quo, in casu ubi res euicta fuerit, euictionis praestationem contra autorem saluam conseruet, *L 8, Cod. de enict.* Idem quoque a creditore pignoris possesore obseruandum est, si, pignore sibi a tertio euicto, debitorem felici euentu ad interesse conuenire velit, *Per ill. PVFENDORF Tom. III, obs. 64, §. 6.* Venditor igitur secundum haec tenus tradita de re vendita, paciente emtore, litigans tanquam huius mandatarius considerandus est, et proinde sententia hoc casu directo in emtorem concipi posset, FRANC. DVAREN. ad *L. 63, D. de re iudic. prael. 43*; potest tamen emtor, et quiuis alius in agendo primas tenens hoc graue praeiudicium, licet venditorem a lite non depellat, a se amoliri, quando protestationem desuper interponit, quod ex lite cum venditore, vel alio secundas tenente vices gesta sibi nullomodo praeiudicari velit; quo casu, tertio nihilominus coeptam cum his



his litem continuante, protestanti, notante eodem DVA-  
RENO cit. loc. ex sententia contra non primas in agendo et  
defendendo tenentes impetrata non praeiudicabitur. Fru-  
stra e contrario venditor omnesque alii secundas, vel ul-  
teriores vices in litigando sustinentes protestationis ope a  
praeiudicio ex re contra legitimum contradictorem iudi-  
cata imminentे sibi cauere nituntur; hi enim illam sim-  
pliciter, siue de lite mota notitiam habuerint, siue mi-  
nus, aduersus se agnoscere tenentur; de quo vide Sos  
antecedentes XI, XII, XIII, et STRYK in V. M. Dig. cit.  
tit. §. 28 seqq.

### S. XVII.

QUARTAM L. 63 D. DE RE IUDIC. SPECIEM EXPONIT; ET  
STRYKII EXPLICATIONEM RELIQVIS INTERPRETVM  
CONCILIATIONIBVS PRAEFERT.

Quartum, quod in L. 63 D. de re iudic. extat exem-  
plum, ipsis lcti verbis relatum ita fese habet: „Nam etsi  
„libertus meus, me interueniente, seruus vel libertus  
„iudicetur, mihi praeiudicat, : quae verba, quin in-  
nuere videantur, patronum a lcto in lite de statu liberti-  
cum terro exorta pro legitimo contradictore accipi, quod  
tamen L. 19 C. de liberal. caus. manifesto aduersaretur,  
interpretes valde torquent, et variis conciliationibus cau-  
sam praebuerunt; in quibus recensendis ego vero ope-  
ram consumere nolo; potius opinionem statim covar-  
rvv. in præf. quæst. Libr. 1. cap. 13. cui et STRYK saepe  
citato titulo §. 38 accessit, quaeue mihi optima videtur,  
proponam, consistit vero illa in eo, vt verba nostrae le-  
gis: „me (scilicet patrono) interueniente „: accipienda  
sint de tali lite, in qua patronus libertum scientem et pa-  
tientem defenderat contra tertium, et tanquam interue-  
niens

ueniens ius simul suum in iudicium deduxerat, super quo  
deinde in eadem sententia principaliter iudicatum fuit;  
adde praeterea PEREZ. ad Cod. tit. quib. res iudic. non noc.  
n. 9.

### §. XVIII.

RECENSVM CASVVM, PRAETER HACTENVS EX L. 63 D. DE  
RE IVDIC. RELATOS, IN IVRE NOSTRO EX EODEM  
FONTE DECISORVM CONTINVAT.

His in L. 63 D. de re iudic. a lato illustrationis causa  
Propositis exemplis iam alia quaedam in iure nostro ob-  
via addenda sunt; sic igitur ex L. 2, §. 8, D. ad L. Iul. de  
adulter. notum est, marito actionem de adulterio primo  
loco competere, qui si vero patrem adulterae huius aetio-  
nis intuitu secundas partes tenentem agere patitur, citra  
omne dubium res contra hunc iudicata ipso marito quo-  
que praeiudicabit; prout in L. 4, §. f. D. ad L. Iul. de  
adulter. verbis: „si non negligentia praeuentus est „: et  
in cit. L. 2 §. 8 D. eod. tit. ibi: „marito non negligente „:  
satis clare innuitur. Idem de popularibus iudiciis valet,  
hinc is, cuius in his actionibus specialiter interest, quip-  
pe qui primum ius agendi habet, si alios agere patitur;  
sibi exinde praeiudicare dicitur in L. 3, D. de popul. act.  
Eadem interuenit ratio in vasallo, emphyteuta et super-  
ficiario, dominum directum scienter de feudo, emphy-  
teusi et superficie, quatenus de dominio vtili illis in no-  
minatis rebus competente lis vertitur, agere permittentii-  
bus; quod et vice versa de domino directo accipiendum  
est, si hic vasallo, emphyteutae et superficiario de domi-  
nio directo litigantibus patientiam praestitit; quum in his  
omnibus casibus recte cum lato in L. 63 D. de re iudic.  
dicatur, ex eorum voluntate de iure suo iudicatum esse,

D 3

STRYK





STRYK in V. M. Dig. siepe cit. loc. §. 37, praeiudicium vide apud AVGVSTIN. DE LEYSER in Medit. ad Dig. sp. 472, m. 3, sequ. vbi etiam med. 5, et 6, alia huc pertinens species refertur de sententia contra subditos lata principi et fisco praeiudicante, si hi illos de re ad se principiter spectante litigare passi sunt.

### §. XIX.

EXEMPLA TERTIAM REGULAM SVPRA §. VII POSITAM  
ILLVSTRANTIA IN MEDIVM PROFERT.


Quo magis vero et regulae §. VII. tertio loco prolatae debita· haud deficiat illustratio, iam exempla expromere lubet, quae secundum eam in iure nostro decisa extant; sic in L. 44, D. de re iudic. quae fundamentum huius regulae continet, definitur, rem contra heredem pupillam iudicatam, quam postea tutores a patria abstinerunt hereditate, substitutis vel coheredibus eius praeiudicare, modo culpa a tutoribus pupillae admissa non fuerit; nam si haec a tutoribus commissa reperitur, res iudicata non solum pupillam, quod per se pater, non stringit, sed etiam nec in pupillae substitutos vel eiusdem coheredes vires suas exserere valet, quum hi locum abstinentis pupillae introeant, et ex eiusdem persona eodem restitutionis beneficio fruantur, quo vti potuisset pupilla, si a patria non abstinuisset hereditate, L. 18, §. vlt. L. 19, D. de minor. 25, ann. L. vn. C. si aduers. dotem cet. Pari modo sententia contra heredem fiduciarium lat. stringit fideicommissarios per citamat L. 44 D. de re iudic. et arg. L. 55 §. 5 D ad scđum Trebell., de quo casu praeiudicium extat in AVGVST. DE LEYSER Medit. ad Dig. sp. 469 m. 9. Aliud exemplum prostat in L. 11, §. vlt. D. de

**D. de except. rei indic.** vbi creditor hypothecarius omnes res in debitorem, prius quam hic rem oppignorauerat, iudicatas agnoscere cogitur, de quo itidem vide AVG. DE LEYSER in Medit. ad Dig. spec. 472 m. 2, rem praetudicio Helmstadiensium confirmantem. Deinde pari iure censendus est emtor hereditatis, et nonsolum, quod contra venditorem ante venditam hereditatem iudicatum est, agnoscere tenetur, L. 44 **D. de re indic. arg.** L. 2 §. 18 **D. de heredit. vel act. vendit.** L. 5 Cod. de pact. int. emt. et venditor., sed etiam post venditionem hereditatis ex sententia in venditorem intuitu rerum hereditiarum dicta praetudicium nanciscitur, quia venditor respectu aliorum heres manet, L. 50 pr. **D. de heredit. petit.** L. 2 C. de heredit. vel act. vendit., si tamen hic ex causa admissae leuis culpac aduersam accepit sententiam, merito salua esse debet emtori actio ad interessum ex ipso contractu, l. 23, **D. de R. I. l. 13, §. 16,** **D. de act. emt. l. 68,** **D. de contrab. emt.**

### S. XX.

#### ALIA A TERTIA REGVLA DECISIONEM SVAM REPETENTIA EXEMPLA ENVMERAT.

Cessionarius ex iisdem decidendi rationibus ex re contra cedentem ante cessionem iudicata praetudicium sentit; minime vero, si post cessionem cedens de re cessa inciso cessionario litigat, et succumbit, hoc praetudicat cessionario; conf. de ea re VMMIVS in Proc. disp. 23, tb. I, n. 10, BRVNNEMANN in Proc. civil cap. 29, n. 19, CARPOZOV. Libr. II, resp. 17, MEVIVS P. III, dec. 234, et P. VII, dec. 187, n. 3. Similiter et res iudicata nocet possessori, in quem lite pendente, vel in fraudem creditorum res interim alienata est; l. 2, et 4, Cod. de litigios. tot. tit. D. de



D. de his, quae in fraud. credit., BRUNNEMANN ad l. 63;  
 D. de re iudic. n 5, MEVIVS P. VIII, dec. 380; melioris  
 enim conditionis eiusmodi possessor esse nequit, quam  
 reus condemnatus, a quo vnae causam habet, GAIL libr.  
 I, obs. 118, n. 2; quo tamen casu secundum l. fin. Cod.  
 de litigios. aliud de bonae fidei possessore, aliud de mala  
 fide possidente st. tuendum venit; ille enim pretium pro  
 re sibi iam euicta datum nonsolum recipit, sed insuper  
 aliam tertiam poenae nomine a suo venditore consequi-  
 tur; hic vero in poenam participati doli pretium perdit,  
 quod vna cum aequali summa ab autore soluenda in  
 fiscum inferri iubetur: lex 57, §. 1; D. de administr. et  
 peric. tutor. elegantem huius rei speciem continet de pu-  
 pillo interuenientibus tutoribus ab eo, qui a praefide  
 bonis ademis relegatus est, fundum, durante super hac  
 causa coram principe appellatione, emente, et dicitur,  
 si appellatione deinde inusta pronunciata pupillo fundus  
 ablatus est, eum a tutoribus iudicio tutelae pretium con-  
 sequi debere, modo hi scientes emerint ab eo, qui in ea  
 causa fuit, ut ipse resque suae sententiae priori obnoxii  
 essent; si vero hoc iuste ignorauerint, pupillum actione  
 tutelae opus non habere, sed pretium pro re sibi ablata  
 depensum a venditore recuperare; conuenientia huius  
 textus cum l. f. Cod. de litigiosis non difficulter cuilibet ex  
 casu proposito patebit; iam igitur hoc tantum adhuc mo-  
 nere ex l. f. Cod. de litigios. lubet, quod is, qui lite pen-  
 dente dolo malo obiectum litis in alium transfert, licet  
 possessor ob bonam fidem pretium solutum recipiat; ta-  
 men ad summam pretio aequalem fisco teneatur. Si de-  
 nique actio mota in rem scriptarum qualitatem habet ve-  
 luti actio quodmetus causa, l. 9, §. 8, l. 14, §. 3, D. quod  
 met.

met. caus. l. 4, §. 33; D. de dol. mal. et met. except., vt et  
 actio aquae pluviae arcenda per l. 4, §. 1; D. de aqu. et  
 aqu. pluv. arc. l. II, §. 9, D. de except. rei iudic., vel etiam,  
 licet personalis, ita comparata est, vt in tertium possessio-  
 rem sub certis requisitis locum inueniat, vti actio spoli-  
 rem contra tertium rem spoliatam scieater accipientem, III.  
 G. L. BOEHMER in Princ. I. Can. §. 725, lit. f., c. 18, X.  
 de restitut. spoliat. tunc, reo ex eiusmodi causa condemnata,  
 rem inter illum iudicatam merito in tertium possessio-  
 rem proferri credo; Immo bonis sub pacto paratae exe-  
 cutionis, constituti possessorii, et alienationis prohibita  
 in hypothecam datis, ex sententia contra debitorem prin-  
 cipalem lata executionem contra successorem singularem,  
 in quem eiusmodi bona contra tenorem adductarum con-  
 ventionum alienata sunt, non absque legum assensu ad-  
 mittunt Doctores, quum eiusmodi pacta rem alienatam  
 afficiant, vti patet ex L. 17, §. 5, D. de pact. et ex L. 7,  
 pr. D. de iure patron., et sic, hypothecam cum omnimo-  
 da sua qualitate in successorem singularem transire, dicen-  
 dum sit; tueritur hanc sententiam aduersus COLERVVM de  
 Proc. exec. F. II, c. 3, nr. 429, NEGVSANTIVS de pignor.  
 P. IV, n. 215, MEVIVS P. VII, dec. 124, et STRYK in  
 V. M. Dig. saepe cit. tit. §. 64; Plane tamen aliud dicen-  
 dum est de agnato, qui, deuoluto ad se feudo, ex sen-  
 tentia contra defunctum feudi possessorem lata, qua hic  
 alicui ad fructus ex feudo praestandos condemnatus est,  
 non obligatur; hoc enim debitor duntaxat est personae,  
 non item feudi per rect. II, Feud. 45. Et haec quidem  
 sufficere possunt ad illustrandas regulas, quas de effectu  
 rei inter alios iudicatae alii praeiudicandi ponendas duxi;  
 vltimo tamen loco monendum adhuc habeo, quod qui-  
 dem

dem per se intelligitur, rem inter alios iudicatam in omnibus iis casibus, quibus aduersa aliis nocet, etiam propitiariis commodo esse debere.

S. XXI.

DE MODO, QVO RES IUDICATA ADVERSUS TERTIUM IN ACTVM DEDVCENDA EST, PRAECIPVE QVATENVS ID OPE EXCEPTIONIS CONTINGIT, COMMENTATVR.

Iam igitur de modo, quo sententia inter alios dicta aduersus tertium in cassibus hactenus relatis efficacie suae mandanda est, paucis commentari restat; et consistit hic modus intuitu rei iudicatae absolvitoriae, in oppositione exceptionis ex eadem oriundae; intuitu vero condemnatoriae in executione, quam supra §. IV. definiui; de priori iam hoc et sequenti §o, de executione vero propriis sic dicta sequentibus §is erit agendum. Quando igitur reus per rem iudicatam absolutus est ab actione eius, qui suo litigio tertio cvidam praeiudicium inferre valet, per rei naturam effectus huius absolvitoriae prius sese excusare nequeunt, quam si iste tertius, qui rem contra priorem actorem iudicatam agnoscere tenetur, nihilosecundum reum ex eadem causa nouae liti implicare studet, hoc demum eueniente reus cum effectu priori re iudicata aduersus tertium viritur, dum opposita exceptione rei iudicatae huius actionem funditus protelat, eumque saepius a limine iudicii repellit; haec tamen merito supponunt iudicis cognitionem de qualitate exceptionis rei iudicatae, utque ea ad sint, quae circa singulos casus in praecedentibus monita sunt. Conf. GAIL. Libr. I, obs. 113, m. 8, STRYK in V. M. Dig. cit. iii. §. 46. sed de his spe-

meb

8

35

specialius sequenti §o erit agendum; nocet igitur, ut  
quaedam exempla repetam, res iudicata absolutoria con-  
tra vasallum, vel emphyteutam obtenta domino feudi vel  
emphyteuseos dirigenti, si hic de eadem re, intuitu cu-  
ius iam vasallus, vel emphyteuta, vt legitimus contra-  
dictor, aduersam accepit sententiam, de novo litem in-  
choare velit; nocet porro ex eadem ratione sacerdos et  
vxori, si maritus rem dotaalem petens vi rei iudicatae ab-  
solutoriae a vindicatione depulsus est; nocet demum op-  
pignoranti, si tertius pignoris possessor aduersus credito-  
rem pignoracium rem pignori datam vindicantem sen-  
tentia iudicis absolutus fuerit.

§. XXII.

EXCEPTIONIS REI IUDICATAE STATIM EX ALLEGATIONE LI-  
QUIDAE, ET EIUS, QVAE PER PROBATIONEM IN CONTI-  
NENTI AD LIQVIDVM PERDVCI POTEST, EVNDEM ESSE  
EFFECTVM LITIS INGRESSVM IMPEDIENDI TRADIT.

Iam praecedente §o monieum est, iudiciale cogni-  
tionem semper requiri, quatenus de opponenda rei iu-  
dicatae exceptione aduersus tertium casus incidit; eaque  
primo versari debet circa quaestionem, an exceptio rei  
inter alios iudicatae in tertium extendi possit? quo respe-  
ctu probe ponderandae sunt casus substrati circumstan-  
tiae, an nimurum haec ita sint comparatae, vt species, cui  
insunt, ad vnam trium supra prostantium regularum re-  
ferri queat? videndum igitur, an eadem res ab excipien-  
te petatur, eadem sit causa et quaestio, eadem quantitas  
idemque ius agendi? L. 12, 13, et 14, Dig. de except. rei  
iudic., ZANGER P. III, cap. 17, n. 5, seqq. quibus debito  
modo

modo exploratis, nunc iudicis cognitio in qualitate huius exceptionis indaganda occupata esse debet, quo apparat, an illa sine via plane probatione statim liquidabitur, vel per probationem in continentia ad statum liquidum perducatur, an vero altioris indaginis sit? Nam priori in casu huiusmodi exceptiones in cap. I, de lit. Contest. in Gto litis finitiae habentur, atque litis a limine iudicij reiectionem operantur; quod vero secus est in posteriori casu, vbi excipiens cum tertio iudicium per litis contestationem suscipere et exceptionem rei iudicatae per modum simplicis peregrinatioe opponere et ordinario modo probare necessitate habet: MEVIVS quidem P. III, dec. 225, n. 4, et CHRIST. KOCH in Prax. iudici. l. P. IV, cap. 17, §. 4, exceptiones in continentia statim liquidas ad effectum litis ingressum impediendi tantum admittunt, non item eas, quae demum per probationem in continentia ad liquidum perducuntur; attamen et his ex yfu fori qualitatem impediendi litis ingressum tribuunt BOEHMER in Iur. Eccl. Protestant. Libr. II, tit. 25, §. 10, BRVNREM. ad L. 38, D. de reb. credit. STRYK in Introd. ad prax. cap. 13, §. 2, et PUFENDORF in Introd. ad process. P. II, cap. 5, §. 17. Reste igitur in applicatione ad nostram exceptionem rei iudicatae inferimus, eam contra tertium toties ad effectum impediendi nouam litem opponi posse, quoties vel statim, vel saltim mediante probatione in continentia euidentum dari potest, illam ex causis supra relatis tertium stringere debere; quoties vero e contra, an exceptio rei iudicatae aduersus tertium vires suas exercere possit, res est altioris indaginis, toties eadem quidem ut non prohibetur reus, attamen item suscipere, et hanc suam exceptionem debito loco et tempore probare tenetur.

obicit

s. XXIII.

## §. XXIII.

QVAE CIRCA EXECUTIONEM EX RE IUDICATA CONDEMNATORIA IN TERTIUM DECERNENDAM A IUDICE PRAECOGNOSCENDA SVNT, TRADIT.

Iam de executione rei inter alios iudicatae condemnatoriae, quatenus contra tertium obtinere potest; agendum est, et sufficiet generaliter monere eandem in omnibus iis casibus recte decerni, in quibus tertio secundum supra tradita per sententiam inter alios dictam idem, ac si contra ipsum iudicatum fuisset, praetidium infertur; quum vero, an substratus castus ita comparatus sit, saepius tam expeditae certitudinis non sit, nemo non viderit, iudicis esse, sua cognitione definire, verum requisita ad effectum executionis rei iudicatae aduersus tertium producendum necessaria adsint, nec ne? Si igitur tertius, qui primas in agendo et defendendo tenuit partes, patientiam, quae ex eius parte in L. 63 D. de re indie. requiritur, negat; si contendit viatum legitimum contradictorum non fuisse; si illum, qui condemnatus est, suum autorem esse negat; si demonstrare paratus est, rem in se ex tali causa translatam esse, ob quam illa absque vicio litigiosi etiam lite pendente recte alienari potuit, L. fin. §. 1, in s. Cod. de litigios. L. 13, D. famil. hercisc. si denique in actione spolii, se eius ignarum fuisse contendit, nemo facile dubitat, tertium hisce allegationibus audiendum, et super iisdem a iudice curatam instituendam esse cognitionem; idem dicendum venit, si tertius rei in fraudem creditorum alienatae possessor, se eam ex causa onerosa sine dolo accepisse, affirmat, L. 10, §. 5, D. quae in fraud. creditor. fact., vel si is,

E 3

qui

qui ex re inter alios iudicata executionem contra se admittere debet, probare vult, inter actorem et reum collusionem intercessisse STRYK. ap. cit. tit. §. 62; omnes enim hae exceptiones, quin fundamentum executionis contra tertium facienda, si probantur; plane euertant, sine dubio praejudicialiter a iudice sunt cognoscenda. Quodsi vero obligatio tertii rei iudicatae inter alios acceptae standi ita in aprico constituta reperitur, ut ipsi plane nulla suppetat contra rem iudicatam fundata allegatio, tunc remoris omnibus ambigibus mediante executione aduersus eum procedendum est, quo tamen casu iudex tertium antea de soluendo, vel praestando admonere debet, ut hic ex tali iussu, qui loco citationis est, compertum habeat, in casum non praestiti obsequii iudicem aduersus ipsum remedii coactius processurum esse; quando vero ob possessionem rei litigiosae, vel spoli executio in tertium decernenda est, aia adhuc ratio accedit, quae monitorium praecedere jubet, ut nimurum tertio forsitan vitii rei possesse inherenter ignaro id exinde innotescat; CARPOV. P. 1, conf. 32, def. 3, n. 1, FABER. Con. Libr. VII, tit. 20, def. 27, HARTM. PISTOR. Libr. IV, cap. 29, n. 10, STRYK. in V. M. Dig. §. 65.

#### §. XXIV.

TERTIO, CONTRA QVEM EXECVTO DECRETA EST, FADEM REMEDIA TRIBUIT, QVAE REO CONDEMNATO COM-PETERENT; DILATORIARVM VERO AEQVE AC REREMTO-RIARVM OMMISSARVM INTERPOSITIONEM ADSTIPVLAN-TE REC. IMP. NOVISSIMO EIDEM REGULARITER DENEGAT.

Denique illud notum est, tertio omnia illa contra decretam executionem proferre remedia, quibus ipse con-

condemnatus uti potuisset, querela igitur nullitatis infamabilis, aequa ac restitutionis in integrum beneficium tertio interdum occasionem praebent amandi a sententiae executionem, DIDAC. COVARUV. in Pract. quæst. Libr. I, cap. 15, n. 9, STRYK in V. M. Dig. suept. tit. S. 66. Regulariter vero nullae vel dilatoriae, vel peremptoriae exceptiones a condemnato omissæ in ipsa executione a tertio adhuc opponi possunt; aduersaretur enim hoc dispositioni Rec. Imp. nouiss. de anno 1654, S. 37, ibi:

„Wie auch was er dabey dilatorie oder peregrinorie einzuwenden haben mögte, alles auf einmal bey Strafe der præclusion einbringen, : quæ vtique ad tertium trahenda est, quia hic condemnatum in defensione pro se suscepta impedire potuisset, quo vero intermisso dicendum est, eum tacite ea omnia agnouisse, quæ condemnatus intuitu causæ ad se quoque spectantis in iudicio facienda omittenda duxerit; secus tamen est, si quando eiusmodi exceptiones in executione opponendae tempore litis contulatae usque ad sententiam vel reum prorsus latuerint, vel post rem indicatam demum ad eiusdem peruenient notitiam; STRYK in V. M. Dig. tit. ex quib. caus. maior S. f. LAVTERBACH Concl. foren. exercit. concl. 11; Idem obtinet, si per collusionem, gratiam iurisprudentiam male et epidenter nulliter indicatum est, quoniam eo casu fraus collusionis et iniuria illorum tertium attingere non debet; L. 51 pr. D. de evict. FABER in Cod. Libr. VII tit. 22 def. 11.

S. XXV

EX QUIBUS NAM CAVIS EXECUTIO CONTRA TERTIVM; SI  
 STENDA SIT, QVAEVE RES OBJECTVM EXECUTIONIS  
 CONSTITVANT, EXPENDIT.  
 Dantur tamen adhuc aliqui casus, vbi tertius, contra  
 quem executio sententiae intenditur iustas habere potest  
 renitendi causas, sic enim fideiussor, qui, ut supra  
 §. X. dictum est, propria defensionis habet argumenta  
 illis non est priuandus; BRVNNEMANN in Proc. ciu. cap 29  
 n. 15, nec igitur contra eum hoc casu sententia in debito-  
 rem principalem concepta statim in actum deduci potest;  
 pari modo tertio, qui pupillus, minor, vel horum  
 iure fruens persona est, beneficium restitutionis in ipsa  
 executione oppositum auferri nequit; vnde etiam, si contra  
 tertium, cœl debitoris condemnati debitorem, fuerit  
 decreta executio, hic omnino audiendus est, si obiicit,  
 executionem in se in subsidium tantum decerni posse,  
 L. 15 §. 8 D. de re iudic. L. 5 Cod. de exec. rei iudic. quo  
 nomine optimo iure exceptionem excusationis in suos con-  
 uertit vsus, ipsique saluas manent, quas ratione sui de-  
 biti contra debitorem condemnatum habet, exceptiones  
 solutionis, compensationis cert. siveque executio in eundem  
 pro re nata decreta sistenda est, coler. Proc. execut. P. II  
 cap. 3 n. 463 seqq. tertio vero contra executionem nulla  
 se se legitima furi valente exceptione, contra illum pro  
 natura actionis veltilatae, et secundum tenorem senten-  
 tie desuper prolatae suscipienda est executio, vt nim-  
 rum in actione reali rei iudicatae executio fiat in rem  
 ipsam petitam, L. 1, Cod. de exec. rei iudic. et quidem  
 ablatione rei mobilis a tertio possesse manu judiciali; si  
 vero immobilia res ex iudicato victori tradenda est, hic,  
 exmisso

2

exmissio tertio possessore, in possessionem vacuam inducitur. VMM. in Proc. Disp. 23 t. v. n. 10. In personalibus actionibus, quibus certam rem petimus eadem est executionis ratio hec in realibus; TEXTOR prax. iudic. P. II cap. 14 n. 33. idenque si factum constituit obiectum executionis, combinaciones prius poenales, et his pertinaciam non frangentibus, quandoque pro conditione personae carceres a iudice decerni queunt, tandem ultimo loco, si ne his quidem ad praestandum factum reus commoueri potest auctor id, quod interest, mediante executione, in bona consequitur; sicuti vero omnis executio, quando determinata species eius obiectum non constituit, primum in exequendi mobilia, deinde in immobilia et tandem in iura dirigitur; L. 15 §. 2 D. de re iudic. SCHILTER ad Dig. execv. 46. 9. 15. 21. 24. 25 et 38 sequ., ita et in casibus, ubi executio rei inter alios iudicatae aduersus tertium per agitur, eodem modo procedendum est; et his quidem huic tractationi finem impono, pluraque de hoc arguento scire cupientes ad autores in ipso hoc specimine saepe laudatos ablego, quibus et me, quae hic bona quaeue vera congesta videri forsan possunt, accepta ferre ingenue fateor.

### COROLLARIA.

- I) Ex sententia, qua venditor liti sese tanquam possessor offerens ad aestimationem damnatus est, aduersus emtorem ad rem ipsam, non obstante L. 63 D. de re iudic., agi nequit.
- II) Vxor marito res suas tanquam ipsius mariti proprias oppignoranti patientiam praestans, deinde hanc res

rei vindicatione reuocare nequit; indigna enim iudicanda est exceptione rei inter alios actas, et beneficio autb. si qua mulier. Cod. ad scđum Velleianum, quae hoc beneficio infirmati mulierum concessò abusa est ad circumueniendum mutuam pecuniam dantem.

III) Sententia, qua vnius litis consortis appellatio iusta pronunciata est, prodest quoque alteri, qui appellatio vsus non est, dummodo una eademque causa individua et idem defensionis fundamentum adsit; de quo praeiudicium extat in Summi appellat. Tribunal. Cassellan. Decis. Tom. I dec. 136.

IV) Maior creditorum simplicium numerus creditoribus hypothecariis in concedendis induciis praeiudicat, quo ramen casti his cautio praestanda est intuitu eorum, quae ipsis debentur, quorum que solutio differtur.

V) Non vero ex pacto, quo chirographarii communis debitori quotam eorum, quae ipsis debentur, remittunt, licet ipsi maiorem creditorum numerum constituant, creditores hypothecarii vllatenus, ut aque remittant, obligantur.

---


### CORRIGENDA

- Pag. 4 lin. 17 pro taliis lege talia  
 5 in rubr. §. IIII lin. 2 pro execuzione lege executione  
 7 lin. 5 context. pro procardicon l. broardicon  
 14 in rubr. §. X. post verbum, alias: excidit particula non: sicut  
 20 lin. 24 pro antiqui, l. antiqui  
 22 in rubr. §. XIV. lin. 4 pro conceptus l. conceptus  
 25 lin. 7 pro possidebat l. possidebat  
 26 lin. antepenult. pro iure l. iuri  
 38 in rubr. §. XXIV. lin. 3 pro peremtoriarum l. peremtoriorum

Marburg, Diss., 1769-70







P. 24. num. 6a. Gg. 19  
10

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS  
DE  
EFFECTV REI IVDICATAE  
ADVERSVS EOS, QVI IN LITE  
NON FVERVNT

1770, 3.  
QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIP<sup>E</sup>  
ET DOMINO  
OMINO FRIDERICO II  
HASSIAE LANDGRAVIO REGNANTE RELIQUA  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
PRO  
MMIS IN VTROQVE IVRE RITE CAPESENDIS  
HONORIBVS

AD DIEM X MAII C<sup>CCCC</sup>LXX  
UBLICE SVBMITTET PLACIDAE PROCERV<sup>M</sup>  
DISQVISITIONI

AVTOR  
ORG. MATHAEVS FRANCKENBERG  
ROTENBERGA - HASSVS.

MARVRG<sup>I</sup> CATTORVM  
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

